



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 46. Quinam sint speciales effectus Matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

& completur contractus per consensum conjugum. *Ad 3.* Sensus est, ego Matrimonium vestrum nomine Ecclesie ratum habeo. *Ad 4.* n. conseq. alioquin etiam dicam, in aliis Sacramentis, Minister & suscipiens debent esse sibi praesentes, ergo etiam hic: oppositum tamen constat, quia secundum dicta à n. 258. potest Matrimonium inter absentes contrahi. *Ad 5.* n. conseq. nam etiam Baptismus est actio sacra, idest, à Christo elevata ad causandam gratiam, & tamen validè confertur à laico.

285. §. 2. Dixi l. 6. p. 1. n. 147. non peccare sponsum, si ex causis justis cum sponsa etiam publicè indigna contrahat Matrimonium, sicque ille ministrat hoc Sacramentum, ubi addidi etiam Parochum teneri assistere, dummodo non deprehendat aliud impedimentum. Et pluribus assistentia Parochi addentur à n. 706. Quamvis autem *Trid.* habeat, ut Parochus viro & muliere interrogantis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus S., vel aliis utatur verbis juxta ritum uniuscujusque provincie ritum, tamen id de valore non est: & quamvis Parochus nil pronunciet, sed tantum sit testis, Matrimonium valet, uti cum communi docet & inter declarationes S. Congreg. refert *Galle.* supra n. 5. & c. Quale autem sit peccatum ista omittere, referam sententias n. 505.

286. Q. 46. Quanam sint speciales effectus Matrimonii. R. Praeter indissolubilitatem & obligationem reddendi debitum, de quibus aliqua dicta sunt & plura per decursum dicentur, praecipui sunt sequentes: 1. Communicatio quaedam bonorum & honorum, de qua *Avers.* q. 22. f. 1. Quibus.

nam autem sint bona conjugum, tum propria, tum communia, & quid circa omnia illa possint maritus & uxor, dixi. l. 3. p. 1. à n. 1017. 2. Libertas à servitute, si dominus tradat nuptui vel ipsemet ducat personam servituti subjectam. Item jus, ut neuter possit saltem licite absque alterius consensu se in servitutem vendere, *Aversf.* supra. 3. Nullitas quarundam donationum inter conjuges, de quo aliquid dixi l. 3. p. 2. n. 306. & plurima habet *Sanch.* l. 6. 4. Potestas mutuo irritandi vel suspendendi vota, in quantum præjudicant juri conjugum, de qua *Busenb.* relatus l. 3. p. 1. n. 482. & 503. quibus aliqua addidi ibid. à n. 493. & n. 504. 5. Obligatio cohabitandi, cum id postulet obligatio reddendi debitum, *Gob.* tr. 10. n. 750. 766. *Aversf.* l. 3. ubi explicat, quandoam possint habitatione separari, & *Busenb.* hic referendus n. 401. in fine breviter notat, quandoam uxor teneatur sequi virum, quoad habitationem. 6. Obligatio præstandi alimenta, aut sibi mutuo succurrendi, de qua *Aversf.* l. 4. & etiam dixi l. 3. p. 1. à n. 709. 714. 719. 731. 7. Legitimatio prolis illegitimè conceptæ, aut etiam natæ, de qua *Aversf.* l. 2. & etiam dixi l. 4. à n. 751. 757.

DUBIUM II.

287.

De usu Matrimonii.

ARTICULUS I.

An usus Matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus.

Resp. Per se est licitus & honestus: Quod est de fide, & patet ex 1. Cor. 2. Uxori vir debitum reddit. Per accidens est illicitus in sequentibus casibus.

I.